



Urkunden-Sammlung zur Geschichte der auswärtigen Verhältnisse der Mark Brandenburg und ihrer Regenten

...

namentlich in Beziehung auf Anhalt, Bayern, Böhmen, ... und andere
Länder ; [Urkunden-Sammlung für die Geschichte der auswärtigen
Verhältnisse]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1843

Ll. Vogt, Rath und Gemeinde der Stadt Lübeck bitten den Cardinal Hugo,
sie von der gegen sie vollzogenen Excommunication zu befreien, so wie
ihrer Befreiung von der ihnen auferlegten Herrschaft der ...

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56055](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56055)

reciperent, et eis tamquam regi in omnibus obedirent, iura regalia exfoluendo; et ipsi nostras monitiones infra terminum eis a nobis prefixum non adimpleuerint: nos, mandatum nobis a dicto domino legato iniunctum preterire non audentes, in dictam uniuersitatem ciuium Lubicensium, si memoratos principes Marchiones Brandenburgenses ante dominicam post diem Beati Viti nunc proximam in dominos non receperint, et eis tamquam regi in omnibus non obediuerint, iura eis regalia exfoluendo, ex tunc excommunicacionis sententiam in nomine patris et filii et spiritus sancti ferimus: quam uobis, auctoritate nobis iniuncta, in uirtute sancte obediencie, sub pena eciam excommunicacionis precipimus firmiter obseruari, ita ut ex tunc a diuinis cessetis, et nulla porrigatis ecclesiastica sacramenta, preter poenitencias moriencium et viaticum et baptismata paruulorum. Datum Sandowe, Tertio Kal. Iunii.

Aus der Lübeckischen Urkunden-Sammlung I, Nr. CLXXXV.

LI. Vogt, Rath und Gemeinde der Stadt Lübeck bitten den Cardinal Hugo, sie von der gegen sie vollzogenen Excommunication zu befreien, so wie ihrer Befreiung von der ihnen aufgelegten Herrschaft der Markgrafen von Brandenburg bei dem Römischen Könige Wilhelm und der Erhaltung ihrer vormaligen Reichsunmittelbarkeit sich anzunehmen, (vermuthlich aus der zweiten Hälfte des Junius 1252).

Venerabili domino ac patri in christo, Hugoni, Tituli sancte Sabine presbytero Cardinali, apostolice sedis legato, Aduocatus, Consilium et commune Ciuitatis Lubicensis cum debita reuerencia et honore seruicium ad omnia uoluntarium et paratum. Litteras vestre paternitatis, dominis Zuerinensi et Havelbergenfi Episcopis a uobis directas, et ab eisdem ad nos transmiffas anno gratie M^o. CC^o. L^o. secundo, XVI^o. kl. Junii, hanc formam recepimus continentes: (Inf. Nr. XLVII). Nos autem, ex hoc mandato preiudicium libertatis ac iuris nostri nobis imminere uidentes, sicut ex rescripto priuilegii, quo dominus Fridericus olim, cum adhuc esset Romanorum Imperator et fidelis ecclesie filius, Ciuitatem Lubicensem ob meritum ac fidelitatem honorauit, euidenter cognoscere poteritis, pro huiusmodi grauamine coram discretis uiris, scilicet Canonicis Lubicensibus, fratribus predicatoribus et minoribus, nec non et aliis tam clericis quam laicis fide dignis, canonicam interposuimus appellationem, nos et nostra patrocinio ecclesie commendantes, cuius appellationis causam et formam, diligenter conscriptam, prefatis dominis et Episcopis, mandati uestri exsecutoribus, ante prefixum nobis terminum sine mora transmiffimus. Venerabiles autem domini et exsecutores uestri, canonicæ appellationi nostre minime deferentes, et quia in contemptum iuris et iusticie et contra formam mandati uestri, decano, canonicis et plebanis Ciuitatis nostre dederunt in mandatis sub hac forma: (Inf. Nr. L). Cum autem decanus et pauci canonici, qui presentes erant, nam alii maiores et discretiores, in quibus consilium ecclesie dependebat, absentes erant, hanc executorum uestrorum litteram recepissent, licet scirent ex certis causis et rationibus, se potuisse mandatum ipsorum executorum declinare, utpote qui suspecti erant et fines mandati excellant,

elegerunt tamen a diuinis cessare potius et tacere, quam beneficiorum suorum periculum sustinere, timentes et asserentes, quod a vobis de facto saltem, si non de iure, suis beneficiis spoliarentur, si se contra executores vestros, quantumcumque et iustissimis rationibus et defensionibus, tuerentur. Cum tamen e contrario a magnis et litteratis et religiosis viris hoc eis esset de sanctitatis vestre iusticia pulchre persuasum, quod, licet pro domini nostri Regis voluntate optinenda nos velletis per executores vestros artari vel artare, non tamen fuit hec vestra intencio, ut id fieret iuris ordine non seruato, nec ipsi canonici per vos beneficiorum suorum periculum incurrissent, si per iuris beneficium, per defensionis copiam vestris executoribus restitissent. Nos autem, considerantes, quod per canonicorum pusillanimitatem et taciturnitatem nobis grauamen ingereretur non modicum, si per executores vere suspectos, et qui mandati vestri fines excefferant, diuinum auferretur officium, super tali ciuitatis nostre grauamine coram domino Lubicensi episcopo et canonicis, fratribus predicatoribus et minoribus et coram nostris Consulibus ad vestram presentiam duximus appellandum. Instructi enim fuimus, quod, licet generaliter verum sit, quod ab executoribus non appellatur, in duobus tamen casibus id aliter obseruatur, quando videlicet mandati fines excedunt, et quando merito sunt suspecti: quorum casuum uterque in sepedictis executoribus inuenitur. Dominus enim Hauerbergensis episcopus tanta familiaritatis gratia Marchionibus est coniunctus, ut nullus dubitet vel ignoret, quod nobis merito sit suspectus; ipse enim non solum sub dominio Marchionum natus et educatus est, sicut et sui progenitores, sed etiam de manibus ipsorum ante episcopatum plura beneficia est adeptus, et tandem ad eorum voluntatem in episcopum est electus. Preterea tam ipse episcopus, quam pater suus et fratres sui in consilio Marchionum maiores et familiariores consueuerunt omnibus aliis inueniri. Ex istis et aliis pluribus familiaritatibus adeo nota est contra ipsum suspitio in casu proposito, ut probari non indigeat, sed videri. Item dominus episcopus Zverinensis, ex confessione propria, coram domino Bremenensi Archiepiscopo et coram episcopo Lvbicensi et aliis multis facta, se satis docuit esse suspectum: interrogatus enim ab episcopo et ab aliis, quare contra Ciuitatem Lvbicensem perperam processisset, respondit, quod inuitus hoc fecisset, adiciens, quod siue iuste siue iniuste processisset, propter Marchiones aliud facere non poterat, nec audebat. Preterea, si dominus Zverinensis suspectus non esset, tamen solus in causa procedere non potuisset, quia, quod duobus committitur, vnus non exequitur, precipue, cum in autentico vestro hec clausula non sit adiecta: si ambo non potestis, alter nichilominus exequatur. Preterea satis est suspitione dignum, quod ambo executores canonicis Lvbicensibus, quibus mandatum executionis imponebant, nec vestrum autentikum eis vnquam ostendebant, nec etiam rescriptum ipsius autentici litteris, quas canonicis dirigebant, aliquatenus inferebant. In secundo casu, quod videlicet fines mandati excefferunt, satis erit manifestum et planum, si vestrum autentikum cum ipsorum executorum littera fuerit comparatum. In vestro enim autentico de vniuersitate excommunicanda nichil dicitur, et in eorum littera vniuersitas excommunicari iubetur: quod etiam hodie iuri contrarium inuenitur. Preterea in autentico vestro sub disiunctione mandatur, ut debeamus vel domino Regi, vel Marchionibus obedire; sed in executorum littera altera pars disiuncte, non facta domini Regis mentione, precise no-

bis precipitur, ut debeamus Marchionibus obedire. Item, quod a vobis infra tempus Pentecostes exequendum in mandatis acceperunt, hoc ipsi usque ad dominicam proximam post festum beati viti auctoritate propria distulerunt, cum lex dicat, quod diligenter fines mandati custodiendi sunt, et qui fines mandati excedit, aliud quid facere videtur, et susceptum non implevit. Cum igitur ex predictis vobis liquere possit, executores vestros nobis suspectos fuisse, et fines mandati excessisse, et ideo per consequens ad presentiam vestram nos rationaliter appellasse, sanctitati vestre omni, qua possumus, precum deuotione humillime supplicamus, ut non solum diuinum officium, nobis contra iuris ordinem sublatum, restitui faciat, sed etiam apud dominum nostrum Regem efficaciter hoc agatis, ut gloriosam ciuitatem Lvbicensem a dominio Marchionum penitus absoluat, et eam sibi ac Imperio retineat et reseruet; et certe non oportet, ut vel per interdictum vel per excommunicationem ad hoc cogamur et artemur, ut domino nostro Regi obediamus et seruiamus, cum ad hoc ad ipsum litteras nostras et nuncios, quos ipse per gratiam suam benignissime recepit, nuperrime direxerimus, ipsi supplicando, ut ab omni alieno dominio nos absoluat, et sibi et Imperio ad seruiendum perpetuo retineat et conferuet. Multis enim laboribus et expensis et carorum nostrorum iacturis et rerum dampnis ciuitatem nostram Imperio conseruauimus in preterito, et semper, quantum nobis permittitur, conseruare intendimus in futuro.

Aus der Lübeckischen Urkunden-Sammlung I, Nr. CLXXXVIII.

XLVII. König Wilhelm verleiht den Markgrafen Johann und Otto von Brandenburg das Angefälle an den Besitzungen des Herzogs Albert von Sachsen, am 15. Februar (1253).¹

Wilhelmus, dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus, Vniuersis sacri Imperii fidelibus, presentes litteras inspecturis, gratiam suam et omne bonum. Illustrium virorum precibus inclinatur nostra Serenitas, et ea, que dilectorum principum votis competunt per affectum, promptis desiderijs occurit nostra benignitas per effectum. Supplicante liquidem nostro culmini dilecto principe nostro alberto, duce Saxonie, ut in omnibus bonis suis pheodalibus, que idem dux a nobis et Imperio tenet, illud Jus, quod vulgariter dicitur aneuelle, Illustribus viris Johanni et ottoni, marchionibus brandenburgensibus, dilectis principibus nostris, concedere dignemur ita, si predictum ducem sine herede contingat decedere, vel etiam, si heredes habuerit, et eisdem infra annos discretionis vel sine heredibus contingerit exsoluere iura carnis. Nos itaque, memorati ducis precibus grato et benigno concurrente assensu, omnia bona sua pheodalia, que idem dux a nobis et imperio tenet, cum omni iure, quod aneuelle dicitur, antedictis marchionibus conferimus et presentis scripti testimonio confirmamus. Acta sunt hec Brunswich, anno gratie M^o. CC. LII^o. XV^o. kal. Marcii, Indictione XI, In presentia Nobilium virorum alberti ducis de Brunswich,